



**R. Patris, Francisci Svarez, E Societate Iesv,  
Metaphysicarvm Disputationvm, In Qvibvs Et Vniversa  
Natvralis Theologia Ordinate Traditvr, Et Qvæstiones Ad  
omnes duodecim Aristotelis Libros ...**

**Suárez, Francisco**

**Mogvntiæ ; [Coloniæ Agrippinæ], 1630**

6 Quam causam efficie[n]tem vel materiale[m] habeat subsistentia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94179](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94179)

patet i. p. q. 75. artic. 2. ad 1. ubi ait, Hoc aliquid potest accipi dupliciter, vno modo pro quocunque subsistente, alio modo pro subsistente completo in natura alicuius speciei: primo modo excludit inhaerentiam accidentis, & forma materialis, secundo modo excludit imperfectionem partis: unde manus posset dici hoc aliquid primo modo sed non secundo modo, & idem est de anima.

LX.  
Subsistentia  
a solute nō  
reditur om-  
nino in com-  
municabi-  
lem naturā.

Quocirca loquendo de subsistente ut sic, non includit eam omnimodam incommunicabilitatem, quam includit suppositum. Nam in diuinis natura subsistens, etiam si sit perfectum & completum ens, communicabilis est tribus suppositis, non ut ab eis pendeat, nec quia illis indigeat ut subsistat, sed propter suam infinitatem, ratione cuius communicatur multis suppositis ineffabili quodam modo, per summam identitatem & simplicitatem. In creaturis autem non habet locum ille modus communicationis, & ideo si res subsistens sit etiam completa, est omnino incommunicabilis, ac suppositum. Res autem incompleta subsistens potest esse communicabilis per modum partis, dummodo talis communicatio non sit per inhaerentiam, non hanc repugnat cum modo subsistendi ut dictum est: vno autem per modum partis non repugnat rei subsistenti incompletae seu partiali, cum possit dari subsistentia extensa, & constans ex partibus, ut ostensum est.

LXI.

Qua inco-  
municabi-  
tas de ratio-  
ne subsistē-  
tia.

Atque ita facile constat quid dicendum sit de subsistentia ipsa in abstracto sumpta, nam, generatim loquendo, de ratione illius tantum est illa incommunicabilitas, quae opponitur inhaerentiae, seu inexistentiali in alio sustentante: loquendo vero in particulari de subsistentia completa, quae in rebus creatis semper est supposita, vel personalitas, illa potest dici aliquo modo communicabilis ut quod, incommunicabilis vero ut quo, si Metaphysicorum more loquamur: illa enim quatenus est actus quidam naturae cui adiungitur, communicatur illi, & hoc sensu dicitur communicabilis ut quod, constituit tamen re omnino incommunicabilem, tum per modum formae inhaerentis, quatenus subsistentia est, tum etiam per modum partis quatenus completa est & hoc modo dicitur incommunicabilis, ut quo. Unde consequenter habet ut etiam ut quod, sit incommunicabilis ceteris rebus, praeterquam suae propriae naturae: & ut illi etiam non sit communicabilis per inhaerentiam, sed per intimam quandam modificationem & identitatem. Duobus praeterea modis intelligi potest subsistentiam creatam, & completam esse incommunicabilem ut quo, seu (quod idem est) esse rationem constituentem rem incommunicabilem. Primo respectu ipsius constituti per ipsam ut sic: & hoc est certissimum, quia illud constitutum est suppositum, quod ut tale est, omnino est incommunicabile, ut declarauimus. Secundo respectu naturae quam terminat, id est, quod non solum suppositum ipsum, sed etiam naturam semel terminatam reddat incommunicabilem alteri supposito, seu incapacem alterius subsistentiae. Et hoc quidem, si solum secundum naturae leges, & capacitatem naturalem intelligatur, est certissimum, & per se notum. Si autem in ordine etiam ad diuinam potentiam res est incerta, quamuis probabile sit hoc etiam modo reddi prorsus incommunicabilem naturam creatam, propria subsistentia terminatam. Quamuis nec de natura diuina, nec de creata terminata personalitate diuina, id verum habeat, de qua redixi. Item, tertia parte disputat. 14. sectione secunda. De subsistentia denique incompleta dicendum est, constituere rem incommunicabilem per modum inhaerentis, non tamen per modum partis: nam hoc ipso, quod incompleta est, potest esse pars: & ideo illi non repugnat communicatio per modum partis, ut satis ex superioribus constat.

LXII.

Solum occurrit vltimo aduertendum, dupliciter esse posse subsistentiam incompletam, scilicet, vel

ex se & intrinsece, vel ex accidente & (ut ita dicam) ratione status. Priori modo est incompleta subsistentia animae rationalis, vel naturae primae: & ideo siue anima sit coniuncta, siue sit separata, semper subsistentia eius est incompleta, semperque est communicabilis, neque post separationem habet aliquem modum positum, communicationi repugnantem: & propter hanc etiam causam non est suppositum. Posteriori autem modo est incompleta subsistentia partis aquae quando vnita est alteri parti, quia solum propter statum non est terminata proprio & incommunicabili termino. Ac propterea si separaretur, acquireret talem terminum, estque verum suppositum habens subsistentiam completam. Atque ita satis constat quo modo subsistentia incommunicabilis sit, & qua ratione hae proprietates non repugnet diuisibilitati eius, seu compositioni ex partibus: & ita etiam sufficienter satisfactum est argumentis in principio sectionis positus.

## SECTIO VI.

Quam causam efficientem & materialem habeat subsistentia.



His quae haecenus diximus de formali ratione subsistentiae, explicatae sunt fere omnes proprietates, & variae diuisiones eius, nimirum in incompleta & completam, in spirituales & materialem, in simplicem & compositam, seu diuisibilem & indiuisibilem. Solum ergo superest dicendum in praesente sectione de causis eius, & in sequenti de eius effectibus. Inter causas autem subsistentiae finalis declarata est, explicando munus & necessitatem eius, formalis autem nulla est, quia ipsa subsistentia est quasi forma, vel actus vltimus in suo genere: solum ergo dicendum superest de efficiente, & obiter aliquid attingemus de materiali.

Duo ergo sunt incerta circa efficientem causam subsistentiae. Primum est: necessariam esse aliquam causam, à qua omnis subsistentia rerum creatarum fiat. Patet, quia haec subsistentia est, aliquid reale, & ad id non est quid increatum aut aeternum: ergo necesse est quod sit ab aliquo agente habeat suum esse qualecunque illud sit. Secundum est: subsistentiam vniuersalemque rei ab ea causa efficiente fieri, à qua fit res ipsa quae subsistit, seu natura illa quam terminat subsistentia, itaque in angelis & rebus omnibus, quae per creationem fiunt, Deus ipse est causa efficiens subsistentiae: in his autem quae fiunt per generationem generans ipsum à quo res genita fit, etiam confert illi subsistentiam. Hoc constabit magis ex dicendis, nunc breuiter probatur, quia tam creatio, quam generatio, per se primo & immediate tendit ad rem subsistentem ut sic: ergo necesse est ut efficiens creationem vel generationem, efficiat aliquo modo subsistentiam sui effectus. Difficultas vero est etiam duplex: prima, an causa creans, vel generans rem subsistentem se sola, & eadem omnino actione qua confert illi existentiā, conferat etiam subsistentiam: secunda, est actio sit aliquo modo diuersa, an sit immediata à solo efficiente existentiā rei: vel an illam efficiat mediante ipsamet natura cuius est subsistentia.

Qua actione fiat subsistentia.

Circa priorem partem multi sentiunt eadem omnino actione fieri ab eodem agente totam rem subsistentem cum subsistentia ipsa, & existentiā. Quae sententia videtur sumi ex Diuo Thoma 1. part. quae. 45. articulo quarto, ubi ait, creari & fieri esse proprium rei subsistentis: quia eius est fieri cuius est esse: illius autem proprie est esse, quod est subsistentia.

subsistens: nam illud est quod habet esse: ergo sentit D. Thomas, vnicam esse actionem, qua fit res subsistens: ut si per quam subsistentia ipsa producatur seu concreatur. Quod testimonium non solum D. Thomae auctoritatem, sed etiam efficacem rationem continere videtur. Et confirmatur, nam quando accidens sit in subiecto, eadem actione fit entitas accidentis, & actualis inherens, ut nunc supponimus ex dictis in superioribus: ergo etiam ratione substantialis natura, & eius subsistentia vnicam actione fit. Probatur consequentia, tum quia saepe diximus eandem proportionem seruare modum subsistentiae ad naturam substantialem, quam habet modus inherens ad naturam accidentalem: tum etiam, quia sicut fit forma accidentalis inherens, ita et natura substantialis subsistens. Denique confirmatur, quia suppositum creatum est vnum ens simpliciter ac per se: ergo vna actione fit: ergo illa eadem actione, & ab eodem agente non fit, seu concreatur subsistentia.

In contrarium autem sumi potest argumentum ex mysterio incarnationis, in quo videmus animam rationalem esse creatam eadem actione, qua creatur, si non esset Verbo vnienda, & eiusdem speciei cum actionibus, quibus aliae animae rationales creantur: ut suppono ex his, quae late tractavi in primo tomo, tertiam parte disputatione 8. sectione 1. ergo creatio animae ut talis est, non terminatur ad subsistentiam animae, sed ad solam existentiam: ergo oportet, ut subsistentia alia actione, seu alio modo fiat. Simile argumentum fieri potest, de effectione totius humanitatis: & ad res omnes potest applicari. Nam angelus, verbi gratia, posset nunc vniiri hypostatici Deo, quoad ipsius naturam, ut supponimus, & tunc deberet esse seu conservari subsistentia angeli: conservaretur autem natura eius eodem modo, & in eadem existentia, in qua nunc conservatur: ergo est actio diuersa illa, qua conservatur existentia ab ea qua subsistentia conservatur, quandoquidem vna cessante permanet alia: ergo etiam est diuersa actio illa, qua res accipit existentiam ab ea, per quam subsistentiam recipit, nam actio productiua, & conservatiua eadem est per se loquendo, si agens non varietur. Et confirmatur ratione physica, nam actiones variantur, iuxta distinctionem & necessitatem terminorum, eo quod actio nihil aliud sit, quam dependentia termini ab agente, quae formaliter est modus quidam, ipsius termini, realiter vero est ipsemet terminus, ut progrediens ab agente, sed subsistentia est aliquid ex natura rei distinctum à re subsistente, & ab existentia eius: ergo habet diuersam dependentiam & emanationem ab agente: fit ergo per distinctam actionem.

Duobus modis intelligi potest actionem hanc esse vnam vel plures: primo, quod ita sit vna, & sit indiuisibiliter eadem, ita ut effectio subsistentiae nihil in re addat effectioni naturae & existentiae eius, quae per subsistentiam terminatur. Alio modo intelligi potest effectiorem subsistentiae aliquid addere actioni creatiuae seu productiuae existentiae rei. Hoc autem subsistendum est, nam duobus modis potest accidere: primo ut id quod addit effectio subsistentiae, sit actio omnino distincta ab effectione existentiae, quamuis ex natura rei sit coniuncta cum illa. Secundo, ut non sit actio distincta, sed veluti pars quaedam eiusdem actionis, ita ut vna tantum sit actio, quae ad tam existentem & subsistentem terminatur, illa tamen non sit simplex, sed composita ex partiali modo, seu dependentia terminata ad existentiam, & alio partiali modo terminata ad subsistentiam. Sicut actio, qua continue fit calor, ut duo, vel calor bipedalis, est quidem vna non tamen simplex sed composita ex partialibus actionibus terminatis ad diuersos gradus, & ad diuersas partes caloris. Imo hae actionis compositio potest adhuc duobus

modis contingere: vnus est ut compositio sit talis, & tantum cum dependentia partium inter se, ut non possit vna pars sine alia manere aut fieri: & hoc modo censemus esse vnam actionem, qua fit, & vnitur subiecto accidens, & omnis forma quae educitur de potentia materiae seu subiecto. Alter modus est, ut compositio hae sit sine mutua partium dependentia, ita ut possit manere vna pars actionis sine alia, quod interdum vicissim & indifferenter contingit in vtraque parte, ut quando inter eas & terminos partiales earum nullus est ordo per se, sicut in exemplo posito de calefactione bipedali, posset enim fieri in dimidia parte tantum, idque indifferenter in vna vel alia. Interdum vero non est mutua hae independentia, sed vna pars actionis per se supponit aliam, & non potest esse sine illa, vel saltem quin illa praecesserit, quamuis & conuerso ea quae supponitur, seu est prior, possit esse sine subsequenti, sicut in exemplo de actione productiua caloris, ut duo actio, qua producitur primus gradus, posset manere sine subsequente, non tamen è contra.

Authoris iudicium.

Argumenta igitur posteriori loco posita sufficienter probant, actionem, qua fit subsistentia cum existentia rei, non esse ita vnam, ut sit omnino simplex & indiuisibilis, alioqui nullatenus posset illa actio terminari ad rei existentiam, & impediri ne ad subsistentiam terminetur. Quia si actio re ipsa exercetur, necesse est, ut habeat suum terminum: si ergo attingit vnum terminum, & non alium, vel vnam partem termini, & non aliam, ideo est, quia impeditur vel vna actio, vel vna pars actionis, & non alia: ergo actio, quae sic minuitur vel impeditur, ut sic dicam, non potest esse omnino simplex, & indiuisibilis, huiusmodi autem est actio, qua fit res tota subsistens, quandoquidem potest manere illa actio, ut terminatur ad rem seu existentiam naturae, sine actione subsistentiae: ergo. Probant praeterea rationes illae effectiorem existentiae, & subsistentiae rei non habere inter se mutuam ac necessariam dependentiam, quandoquidem potest vna sine altera permanere. Existimo autem hoc non esse verum indifferenter, seu vicissim ac mutuo, nam actio, qua fit natura existens potest esse sine effectione proprie subsistentiae, ut ex mysterio incarnationis constat: non potest autem è conuerso fieri, ut effectio existentiae maneat sine actione productiua, vel conservatiua naturae subsistentis. E ratio est, quia cum subsistentia tantum sit modus naturae, non potest esse aut fieri, nisi in ipsa natura, & actu terminans illam: ergo ordine naturae essentialiter supponit existentiam, & consequenter effectiorem etiam, vel conservatiuam ipsius naturae: iuxta principia ergo à nobis posita, ita philosophandum est, etiam alii iuxta alia principia aliter opinari cogantur.

Neque priores rationes quidquam contra hae efficiunt, nam ad summum eo redeunt, ut probent hanc actionem esse vnam, non vero quod sit simplex & indiuisibilis. Sicut è conuerso, licet posterior res rationes probent, ut dixi, illam actionem non esse vnam simplicem, non tamen probant definite esse duas, sed vel esse duas, vel vnam compositam, quae diminui potest, & quasi mutila, vel dimidiata manere. Quid autem horum verius sit, inquirendum superest: pendet autem hoc ex posteriori puncto supra proposito. Nam si solum agens quod existentiam efficit, facit etiam immediate subsistentiam, videtur sane vtrumque facere vna actione totali: si autem ipsum solum confert existentiam, subsistentiam autem non per se solum, sed medio aliquo principio ipsius rei subsistentis, confert, erunt actiones duae, quia in rigore sunt à diuersis principiis, ob hanc igitur causam simul hae tractanda sunt.

VII.

VIII.

*Quod sit principium proximum, à quo manat  
subsistentia.*

VIII.  
Rationes du-  
binandæ.

Et igitur præcipua huius sectionis difficultas, an subsistentia effectivæ sequatur ex intrinsicis principijs naturæ existentis: an vero à solo extrinseco agente detur natura solum passiva, seu quasi passivæ se habente respectu illius. Et videtur quidem hoc posterius verum esse. Primum ob rationem supra insinuatam, quod actio agentis per se prima tenet ad rem subsistentem ut sic: ergo ipsum solum est, quod dat effectui totam entitatem, absq[ue] ad subsistentiam. Secundo ex illo simili de accidente, nam quando accidens sit vnum subiecto, modus inhaerentis non est actus ab ipsomet accidente, quod videtur, sed solum extrinsecum agens; quod efficit accidens, confert illi actualem inhaerentiam: ergo si servanda est proportio, idem dicendum est de subsistentia respectu naturæ substantialis. Tertio, quia alias sequitur materiam primam esse principium intrinsicum actuum suæ subsistentiæ, quod est contra naturam materiæ, nam cum pura sit potentia, non est activa. Sequela patet, quia tam intrinsicæ comparatur, & tantum connexionem habet illa partialis subsistentia cum materia, sicut subsistentia animæ cum anima, aut completa subsistentia totius naturæ cum ipsa natura. Quarto, quia alias sequitur, naturam violentè privari suam subsistentiam, quod non est consentaneum mysterio Incarnationis, quia alias dicendum esset: humanitatem Christi esse nunc in statu violento. Sequela vero patet, quia illud est violentum, quod est contra internum imperium actuum naturæ, ex 3. Ethicorum capite primo, si ergo natura esset intrinsicum principium actuum suæ subsistentiæ, privari illa esset contra internum imperium actuum, & consequenter esse violentum. Quinto, quia subsistentia non educitur de potentia naturæ, seu alicuius subiecti: sed concreatur tantum: ergo à solo Deo immediate fieri potest. Antecedens probatur, quia subsistentia non est aliquid inhaerens subiecto, nam ut supra dicebamus, subsistentia est modus directè oppositus inhaerentia. Consequentia autem patet, quia causa secunda nihil agere potest, nisi per educationem ex potentia subiecti. Et confirmatur, nam quod cum alio concreatur, non habet cum illo connexionem actuam, sed formalem ac materialem, vel aliquam similem, quæ ad has reducatur: & ideo eadem actione fit cum re, quæ per se primo creatur, sicut materia & forma celi concreatur cum cælo, non propter actuam connexionem ut notum est, sed ob formalem & materialem: ergo idem dicendum erit de re subsistente, & de connexionem naturæ, & propriæ subsistentiæ eius. Sexto, quia alias sequitur, posse naturam existentem conservari sine propria subsistentia, & absque vlla alia, quod videtur intelligi non posse, quia si natura est à parte rei existens, & non est in alio supposito, intelligi non potest, quia in se ac per se sit, & consequenter quod subsistat. Sequela probatur, quia si solus Deus efficit existentiam, & deinde subsistentia resultat à natura existente: ergo sunt diversæ actiones: ergo potest Deus separare ab altera, & priorem sine posteriori conservare. Neque ad hoc erit necessaria nova actio, quæ detur tali naturæ aliquis positivus modus loco propriæ subsistentiæ, sed sufficiet suspensio divini influxus, nam illa dimanatio propriæ subsistentiæ ab existente natura, pendet à concursu Dei: omnis enim modus realis omnique dependentia: qualiscunque illa sit, pendet magis & immediatius à causa prima, quam à secunda: ergo potest Deus suspendere illum concursum, nullum alium tribuendo: & conservan-

do actionem, quæ de solo producit naturam existentem.

*Sententia auctoris.*

Hæc sententia est probabilis, nec potest opposita sufficienter demonstrari. Nihilominus in primo tomo tertia parte disputatione octava sectione tertia contrarium nobis visum est probabilius, propter auctoritatem Divi Thomæ ibi questione secunda articulo quinto, ad primum, & questione decima sexta articulo 12. in corpore & ad primum, quem eius discipuli communiter ita intelligunt, & ideo in hanc sententiam inclinant, quam etiam indicat Genebrardus libro secundo de Trinitate, pagina nonagesima tertia, & nonagesima quarta. Ratio vero est, quia ex parte naturæ sunt omnia principia sufficientia, ut ab ea actus resultet subsistentia eius: ergo non est negandum, quin inter illa talis activa connexio intercedat. Antecedens declaratur, quia ut supra à nobis ostensum est, essentia substantialis cum sua existentia ordine naturæ antecedit subsistentiam, ergo habet omnia necessaria, ut ab illa possit resultare modus subsistentiæ. Patet consequentia quia ipsa essentia est nobilior, quam subsistentia, & per existentiam constituitur in statu in quo possit esse principium intrinsicum subsistentiæ per resultantiam saltem naturalem. Rursus videtur esse maxime proportionata, ut possit esse huiusmodi principium: tum quia ex nobilitate ac perfectione eius provenit talis existendi modus, unde in virtute potest illum continere: tum etiam, quia ad perfectionem rei spectat, ut possit esse intrinsicum principium sui modi essendi, præsertim quando ille modus est omnino intrinsecus & connaturalis, & naturaliter inseparabilis ab ipsa re. Atque hinc probatur manere prima consequentia totius rationis, nam quando effectus vel aliquis modus rei potest convenienter reduci in causam secundam, non est soli primæ attribuendus: & similiter quando renovari potest in internum principium, non est ad eam extrinsecam causam referendus: & præcipue quando talis modus habet intrinsecam, & inseparabilem connexionem naturalem cum re, cuius est modus. Et augetur vis huius rationis ex simili exemplo de dimanatione activa propriæ passionis ab essentia, quam admittunt, & plures auctores, & qui melius sentiunt: videturque satis probari experimento physico de reductione aque in pristinam frigiditatem, & latius traditur à Philosophis in 2. de anima. Nullæ autem sunt rationes, quæ probabilius suadeant dimanationem illam effectivam passionum ab essentia, quam sit ratio à nobis facta, imo omnes ad illam reducuntur, ut facile patebit consulenti auctores, vel diligenter excogitanti huiusmodi rationes, & vim earum. Adde, maiorem vim habere dictam rationem in presenti, quia maior est proportio inter naturam existentem cum sua subsistentia & maior & intimior connexio: quam sit inter substantialem essentiam, & accidentalem proprietatem. Neque huic rationi obstat, quod subsistentia est tantum modus naturæ, proprietas autem accidentalis est entitas distincta, imo hoc potius iuvat & confirmat rationem factam, quia facilius est, intrinsicum modum fieri seu dimanare ab interno principio, quam entitatem distinctam. Atque hoc magis confirmabit responsio ad rationes dubitandi in contrarium positas.

*Solutiones argumentorum.*

AD primam respondetur, actionem agentis vltimate quidem tendere ad constituendam rem per se subsistentem (agimus enim de substantiali actione) proxime tamen & immediate effectivam

re rem seu naturam existentem, ad quam non im-  
pediam naturaliter consequitur subsistentia, quam  
dicitur conferre ipsi summe agens, eo modo, quo is  
qui dat formam dicitur dare omnia consequentia  
ad formam. Unde creatio, verbi gratia, dicitur esse  
rerum subsistentium, non quia formaliter termine-  
tur ad subsistentiam: nam re vera terminatur ad ip-  
sum esse ut sic, ut sumitur ex Dno Thoma prima  
parte questione quadragesima quinta per totam, &  
signatur articulo quarto ad primum: sed quia per se  
primo tendit ad tale esse, ad quod ex natura rei con-  
sequitur subsistentia, si fit creatio facta modo quasi  
connaturalis ipsi termino. Quod ideo aduero, quia  
potest Deus creare formam accidentalem, quæ ex se  
non habet esse, ad quod subsistentia consequatur, ta-  
men ille modus productionis est extraordinarius,  
& præternaturalis: & tunc necesse est ut Deus super-  
naturali modo sustineat accidens illud sine subiecto  
& est probabile conferre illi per nouam actionem po-  
situm modum per se existendi, ut in materia de Eu-  
charistia in simili dictum est.

Ad secundam rationem negatur consequentia, &  
similitudo sumpta ab inhesionem accidentis: est enim  
dissimilis ratio. Nam cum forma accidentis sit in sub-  
iecto & ex subiecto, non prius natura creati quam v-  
niri, & ob eandem causam non potest se ipsam acti-  
ue vnire subiecto, quia nec potest se ipsam de poten-  
tia subiecti educere, neque ante vnionem etiam se-  
cundum naturæ ordinem habet esse existentie, ut  
possit esse principium efficiens sue inhesionis. Et ex  
eadem radice est, quod talis forma eadem actione &  
ab eodem agente recipit inhesionem, à quo recipit  
esse. Sicut etiam qui existimant subsistentiam natu-  
re substantialis nil aliud esse quam ipsam existentiam  
substantialem, recte & consequenter dicunt subsistentiam  
non resultare à propria essentia, sed conferri tan-  
tum ab extrinseco agente, quia existentiam non potest  
provenire ab intrinseco, neque ante existentiam ha-  
bet res unde possit esse principium efficiens. In eo  
tamen non loquuntur isti auctores consequenter,  
quod admittunt essentiam substantialem prius natu-  
re habere entitatem actualem essentia, quam sub-  
sistentie, quia tunc necesse est, ut admittant aliquam  
priorem actionem, per quam essentia habeat illam ac-  
tualitatem, quam antea non habebat, & separabile  
de potentia absoluta ab actione, quæ sit subsistentia:  
& tunc sine causa negant essentiam constitutam per  
actionem agentis in illa actualitate, esse posse intrin-  
secum principium actuum à quo manet subsisten-  
tia: hic autem error sequitur ex alio supra notato, ni-  
mirum quia falso negant, illud esse actualem essentia  
esse existentiam: & ideo fallum etiam dicunt, & vo-  
cabuntur, quando subsistentiam, quæ non  
constituit formaliter actualitatem rei, sed afficit, vel  
modificat illam, vocant existentiam ipsius ef-  
ficientie: sed hæc satis sunt in superioribus tractata.

Hic vero inquiri potest circa responsionem da-  
tam, an in aliquo casu, vel supposito aliquo miracu-  
lo possit forma accidentalis effectiue se vnire sub-  
iecto saltem per resultantiam naturalem, ut verbi  
gratia supponendo quantitatem conservari à Deo  
separatam à subiecto, ut in Eucharistia fit, & postea  
creari materiam vel substantiam in time præsentem  
illi quantitati, & auferri ex parte Dei omnem impe-  
dimentum, id est, suspendi omnem actionem, quæ  
Deus impendebat inhesionem, & per se constitue-  
bat quantitatem. In eo igitur casu cessat respon-  
sio data, nam illa quantitas, iam prius existerat  
quam esset vnita: ergo habet esse, à quo possit ef-  
fectiue manare vnio, & aliunde est tam intima con-  
nexio inter quantitatem & actualem inhesionem,  
sicut inter naturam substantialem & subsistentiam.  
Et confirmari potest ex quadam probabili opinio-  
ne efficientie, afferentis animam rationalem, quia pri-

us natura existit intime præfens materiam dispositam,  
quam illi substantialiter vnatur, seipsam actiue v-  
nire corpori per naturalem quandam resultant-  
tiam, seu actiuitatem. Quod si obiciatur, quia forma  
non efficit actiue informationem sed forma-  
liter, responderi potest, utrumque concursum ha-  
bere.

Hunc dicendi modum de quantitate in illo casu  
ut probabilem reliqui in primo tomo tertia parte  
loco citato, postea vero re magis considerata in ter-  
tio tomo disputatione 57. sectione tertia probabi-  
lius censui & merito, inhesionem etiam præexisten-  
tis accidentis non manare actiue ab ipso accidente,  
sed ab aliquo extrinseco agente debere fieri. Et ratio  
est, quia licet accidens toto priori tempore existat  
absque inhesionem, & consequenter conseruetur in  
esse per actionem non eductiuam de potentia mate-  
rie, sed alterius & superioris rationis, tamen in eo in-  
stante, in quo iterum vnitur subiecto, non prius ha-  
bet esse, quam vnatur, quia iam tunc non recipit esse  
per illam actionem superiorem, & quasi creatiuam,  
sed per actionem eductiuam, seu (quod perinde est)  
conseruatiuam forme in subiecto, & ex subiecto, &  
non alias: per quam actionem forma simul recipit  
esse & inesse, & ideo non potest talis forma esse prin-  
cipium actuum talis actionis, vel inhesionem, quam  
per illam in eo instante recipit. Atque hoc modo dif-  
ferentia assignata in superiori responsione locum  
habet, etiam in accidente, quod prius tempore sup-  
ponitur existere separatim. Nam illa præexistencia  
(ut sic dicam) tempore antecedens, est per accidens  
respectu actionis, quæ est in illo instante, in quo tale  
accidens vnitur subiecto. Quapropter non est etiam  
simile exemplum ab anima rationali sumptum, nam  
illa etiam, prout existit, in eo instante, in quo vnitur  
corpori, prius natura existit, & per actionem non e-  
ductiuam, sed creatiuam. Præterquam quod illa o-  
pinio Henrici satis dubia est, & incerta, ut notavi in  
secundo tomo tertia parte disputatione 44. sectione  
quinta.

XIII.

Hinc vero obiter inferatur, idem quod dictum  
est de forma accidentali, dicendum etiam esse de  
materiali forma substantiali, quoad suam actu-  
alem vnionem, & quasi inhesionem in materia.  
Quia etiam illa fit per eductionem, & ideo simul &  
eadem actione existit, & vnitur, & ideo sicut non  
potest seipsam efficere, ita nec potest seipsam vnire.  
At vero, si sermo non sit de inhesionem forme sub-  
stantialis, sed de illo modo partiali, quo talis forma  
complet subsistentiam totius, recte intelligitur re-  
sultare actiue ab ipsa forma: nam ille iam supponit  
formam quoad suam entitatem essentialem existen-  
tem, & vnitam materiam, & in reliquis eodem mo-  
do ad illam comparatur, sicut subsistentia ad essen-  
tiam.

XIV.

Forma sub-  
stantialis  
corporalis an  
possit se affi-  
ue vnire.

Secundo obiter etiam intelligitur ratio, ob quam  
actio per quam accidens vel materialis forma fit, &  
vnitur subiecto, non potest quasi parti & manere  
dando esse tali formæ, & non dando illi inhesionem  
seu vnionem cum subiecto. Sed quodcumque  
accidens separatur à subiecto, & sic conseruatur, o-  
mnino cessat prior actio, & incipit noua, dans seu co-  
seruans illud esse sine vnione, secus vero in actione  
vel actionibus, per quas natura substantialis accipit  
esse & subsistere, nam potest illa prior actio diuidi &  
separari à posteriori, ut dixi. Ratio autem differen-  
tiæ est, quia illa actio, qua forma accidentalis, vel ma-  
terialis recipit esse connaturali modo, est essentiali-  
ter pendens à subiecto, alioquin non esset actio edu-  
ctiua: ablata autem vnione cessat concursus subie-  
cti, & ideo necesse est, ut talis actio cesset, & inci-  
piat alia, quæ sit quasi creatiua & productiua. Ac-  
tio vero, per quam fit natura substantialis, non pen-  
det essentialiter à subsistentia, cum hæc posterior sit,  
quam

XV.

quam ipsum esse, ad quod terminatur talis actio, De qua re dixi plura in primo tomo 3. partis disp. 8. sect. 1.

XVI. Ad tertium, quod erat de materia prima, aliqui putant inconueniens hanc actiuitatem, etiam per re-  
*An à mate- putant inconueniens hanc actiuitatem, etiam per re-*  
*ria prima re- sultantiam naturalem illi tribuere: & ideo aiunt, hu-*  
*substantia re- iusmodi actiuitatem substantiæ semper esse à fo-*  
*stantia, sicut* rma, non solum in naturis simplicibus seu for-  
mis substantiis (quod per se clarum est) sed etiam in naturis completis constantibus ex materia & forma. Qui modus dicendi esset satis probabilis, si substantia esset simplex entitas omnino realiter distincta à materia & forma. Supponendo autem quod supra docuimus, substantiam esse modum naturæ habentem compositionem, vel simplicitatem proportionatam ipsi naturæ, esseque vel partialem vel integram, iuxta conditionem naturæ quam terminat, necessario dicendum est substantiam consequi ad eam naturam, quam proxime terminat. Concedo ergo substantiam incompletam materiæ resultare ex ipsa. Neque enim potest resultare à forma, tum quia substantia consequitur naturam tanquam modus ad rem cuius est modus: substantia autem materiæ non est modus formæ, sed ipsiusmet materiæ: tum etiam quia illa substantia materiæ ordinem naturæ supponitur ipsi formæ, quia ut materia sit primum subiectum generationis supponitur substantiæ, & sub diuersi formis eandem numero substantiam retinet. Neque inconueniens attribuire materiæ hoc genus actiuitatis circa propriam substantiam, nam licet non sit actiua propria actione quæ ordinetur ad communicationem sui esse, quia non potest sibi simile producere, neque ad illud disponere: tamen per quandam resultantiam circa aliquam proprietatem vel modum suum, nihil impedit quod sit actiua. Sic enim quantitas, quæ est proprietatis materiæ, & illam semper concomitans, naturaliter manat ab illa iuxta probabilem sententiam, & idem multi censent de relationibus quæ insunt in materia, & in illa resultant postea termino: Neque contra hoc obstat, quod materia sit pura potentia in ordine ad actum formalem, nam hoc non excludit quin habeat aliquam essentiam actualem, quæ satis est ut ex illa resultent aliquid proprietates, vel modi essendi illi proportionati.

XVII. Substantia priuata sua substantia au sit in statu violento.

Ad quartum responderetur, difficultatem in eo tantam aequè procedere de essentia siue comparatur actiue ad substantiam, siue passiuè tantum, quia violentum non solum est illud quod est contra principium actuum internum, sed etiam quod est contra principium passiuum: Aristoteles enim loco ibidem citato solum ait, violentum esse quod est à principio extrinseco, nihil prorsus conferente passio, cui vis est illata: is autem, qui aliquid ab extrinseco patitur contra naturalem appetitum passiuum, nihil confert, sed potius repugnat. Restat ergo eadem difficultas, siue natura sit principium actuum propriæ substantiæ, siue solum naturali aptitudine & appetitu passiuo illam postulet, quo modo non sit in statu violento si illa priuatur. De qua re disputant Theologi, partim in prima secundæ q. 6. partim in 3. p. q. 2. & quidam generaliter aiunt, quidquid creatur à Deo patitur positue, vel priuatiue, non esse violentum, quia secundum potentiam obedientialem subiecta est suo creatori: & ad hoc est magis propensa, quam ad suam particularem perfectionem, sicut aqua quando ascendit ad replendum vacuum non violententer ascendit: quia licet motus ille sit contra appetitum particularem propriæ naturæ, est secundum generalem appetitum ad bonum vniuersi. Alii vero in particulari respondent, Christi humanitatem non esse in statu violento, quia licet sit priuata propria substantia, euecta est ad altiore statum, & ad vniuersionem cum nobiliori substantia, quæ virtute & e-

minenter continet quidquid perfectionis est in propria. Et hæc est vera sententia, quam late tractauimus in primo tomo tertia parte, disputatione octaua, sectione tertia.

Quintum argumentum posset in contrarium retorqueri saltem ad probandum, diuersum esse modum quo fit substantia ab eo quo fit natura existens, & ideo ex hac parte potius posse concludi, actionem seu effectiōem esse diuersam, & non repugnare quod substantia resultet actiue ab ipsa natura, etiam si natura secundum existentiam suam ab extrinseco agente creetur. Quia natura creatur simpliciter ex nihilo, vel generatur ex præexistente materia quæ ex nihilo creata est: substantia autem fit aliquo modo ex ipsa natura cuius est substantia: nam sicut in illa est tantum modus eius, & ab illa essentialiter pendet in genere causæ materialis, saltem per reductionem, ita ex illa fit, nec potest aliter fieri nisi coniuncta ipsi naturæ, & in ea nitens, atque ab ea pendens: & hoc satis est ut ab ipsa natura possit actiue resultare. Neque obstat quod substantia concreari dicatur, quando res creatur, quia concreatio, licet non semper requiratur dimanationem vnius rei ab alia, ut bene declarat confirmatio illi quinto argumento adiuncta, non tamen semper illam excludit. Interdum enim dicitur concreari aliquid tanquam pars eius quod per se primo creatur, & tunc oportet ut intercedat dimanatio vnius ab alio, sed sola compositio vnius in integrum terminum, qui per se primo fit per vnam actionem compositam & proportionatam termino: & hoc modo creatur cælum vna actione, & partes eius concreantur. Alio modo dicitur aliquid concreari, quia naturali necessitate coniunctum est cum proximo termino creationis, ut intellectus concreatur animæ, & huiusmodi concreatio non excludit, sed potius fere semper adiunctam habet dimanationem eius rei, quæ concreatur, ab existentia vel essentia rei quæ creatur, & hoc modo dicitur concreari substantia. Denique alio modo concreatio solum dicitur concomitantiam cum creatione in eodem momento, absque intrinseca vel necessaria connexionem. Quo modo dicitur communiter gratia concreata Angelis, vel Adæ & huiusmodi concreatio neque est eadem actio cum creatione, nec dimanatio, necessario coniuncta cum illa, sed est actio omnino distincta, & coniuncta cum creatione vel ex voluntate creatoris, vel ex concomitantia alterius agentis, ut verbi gratia lumen aeris potuit esse aeris concreatum ex præsentia solis, qui illum illuminauit in eodem instanti in quo creatus est. Igitur ex concreatione substantiæ non potest excludi dimanatio eius ab existentia.

Sed vergebis, concreationem substantiæ non esse collocandam in secundo ordine sed in primo, idcirco excludere prædictam dimanationem. Assumptum probatur, quia quod concreatur illo secundo modo supponit constitutum integrum terminum creationis, & solum per accidens, & ad summum per se secundo coniunctum est cum termino qui per se primo creatur, & hoc modo intellectus concreatur animæ, vel Angelo, & lux soli, & quantitas corpori vel materiæ, & sic de aliis. At vero substantia non sic se habet: non enim supponit terminum creationis & per se secundo illi adiungitur, sed formaliter includitur in adequato ac per se primo termino creationis: nam quod creatur non est natura, sed suppositum, vel res substantiæ ut sic: ergo substantia creatur ut pars formalis rei, quæ creatur, quod spectat ad primum modum concreationis: non ergo potest concreari tanquam dimanans à termino fundari in illo communi modo loquendi, suppositum esse quod generatur vel creatur, & non naturam. Quæ locutio eodem modo intelligenda est, quo altera similis, suppositum scilicet esse quod operatur, cuius sensus non est substantiam esse rationem agendi,

agendi: sed esse quoddam complementum, quod ex natura rei præsupponitur in agente, ratione cuius dicitur ipsum suppositum esse, quod operatur, quamvis ratio agendi sit ipsa natura vel forma, ut sectione sequente satis dicemus. Sic igitur suppositum dicitur esse quod sit, vel creatur, non quia subsistentia ipsa sit ratio formalis (ut sic dicam) terminandi creationem, sed quia est substantiale complementum rei, quæ creatur, naturaliter ac necessario resultans ex formali termino creationis, quod est ipsum esse substantiale. Creatio ergo vi sua facit rem independentem à subiecto, & natura sua tendit ad producendam rem omnino completam in suo esse substantiali: completur autem per subsistentiam, ut dixi: & ideo creati dicitur res subsistens: quamvis creatio ut sit non attingat immediate subsistentiam ipsam, sed illud esse ad quod sequitur subsistentia. Atque ita factis declaratum manet, quo modo subsistentia dicatur concitari, non ut pars termini, quem immediate attingit creatio, sed ut modus naturaliter consequens eadem terminum.

## De materiali causa subsistentiæ.

Naturatur vero in illo argumento quædam difficultas pertinet ad alteram partem huius sectionis, quæ est de causa materiali subsistentiæ, an scilicet subsistentia proprie habeat materiale causam, & quænam illa sit. In qua re primo comparari potest subsistentia ad illam naturam, quam adæquate terminat, id est, simplex & completa subsistentia ad proportionatam naturam, nimirum angelicam, simplex autem & incompleta ad materiam, vel animam rationalem: completa vero & composita ad integram & compositam naturam. Et secundum hanc comparationem certum est, subsistentiam esse affixam, de incine adhzrentem naturæ, quam terminat: & ita pendere ab illa in fieri & in esse, ut nullo alio modo fieri aut esse possit, quæ omnia in superioribus probata sunt.

Ex quo aliqui etiam ita loquuntur, ut dicant subsistentiam inherere naturæ, quam terminat, & ex illa fieri seu educi tanquam ex materia, quia omnis modus, qui ordine naturæ præsupponit rem, quam modificat, ita inheret illi, & ex illa fit. Dico autem, quæ præsupponit rem modificabilem, ut excludam dependentiam creationis, seu creationem passivam, quæ etiam est modus rei, quæ creatur, non tamen est in illa, quæ sit ex illa, ut ex subiecto, quia non præsupponit illam ordine naturæ, sed potius ad illam tendit: hoc autem est singulare in hoc modo propter specialem eius rationem, quæ est esse viam ad terminum: subsistentia autem non est huiusmodi: sed ordine naturæ præsupponit rem, quam afficit ac terminat, & ideo comparatur ad illam, ut ad subiectum & materiam, sicut omnes alij similes modi. Et confirmatur, nam hoc modo optime intelligitur, quo modo possit subsistentia fieri concursu ipsiusmet esse: quia nimirum educitur de potentia subiecti: sicut ob contrariam rationem creatio passiva, quamvis sit affixa termino, non potest fieri ab agente creato, neque concursu ipsius termini, quia non est in illo, ut in subiecto. Quod si obiciatur, subsistentiæ repugnare inhærentiam: responderi potest, non repugnare illi inhærentiam, ut quod, sed ut quo, id est, non repugnare illi esse inhærentem, sed constituere rem inhærentem: vel aliter (& eodem deolvitur) repugnare illi inhærentiam, non ex parte sui, sed ex parte rei, cui ipsa inheret, vel quam constituit: ipsa enim subsistentia constituit subsistens, cui ut sic repugnat quod inheret: terminat etiam naturam, quam reddit ineptam ad inherendum, vel inexistendum alteri: sed hoc ipsum facit subsistentia inherendo tali naturæ.

Aliis vero non placet hic loquendi modus: negantque subinde, subsistentiam inherere naturæ. Cuius rei rationem aliqui reddunt, quia alioqui esset accidens: quæ ratio non concludit, quia non est sermo de adhærentia in eo rigore, sed ut ad substantialem unionem cum dependentia extendi potest, & sæpe tribuitur formis materialibus. Alij reddunt rationem, quia subsistentia non est forma proprie & in rigore: ergo nec natura, quam terminat, comparatur ad illam, ut materia vel subiectum: ergo neque inter illa intercedit inhærentia, sed aliud genus unionis longe diversum. Vtraque consequentia est clara, quia illa sunt quasi correlativa, seu se mutuo consequuntur. Antecedens autem probatur à Theologis, quia aliàs verbum divinum non posset supplere vicem subsistentiæ, cum non possit esse forma. Item probari potest, quia neque est forma accidentalis, ut supra probatum est, nec substantialis quia aliàs non posset informare, vel aliam formam, vel completam naturam substantialem.

xxiii.

Iudicium  
authoris.

Hæc dissensio videtur magna ex parte esse in modo loquendi, nam in re constat esse inseparabilem unionem inter subsistentiam, & essentiam, seu naturam cum termino: ac subsistentiam ipsam creatam, quatenus est modus quidam ex natura rei distinctus à natura, habere quoddam esse imperfectum & diminutum, quod nec fieri, nec conservari potest, nisi affixum tali naturæ: an vero illa coniunctio & dependentia dicenda sit inhærentia, nec ne, videtur pertinere ad modum loquendi. Mihi tamen posterior loquendi modus magis placet, tum quia omnis modus, qui non distinguitur realiter, sed modaliter tantum à re, cuius est modus, videtur habere cum illa unionem alterius rationis, quam sit inhærentia proprie sumpta, ut sumi potest ex his, quæ supra dicta sunt de distinctione modali, & de causa formali: & dicemus iterum infra, tractando de accidentibus. Quod si in modis omnibus hoc habet locum, multo magis in substantiis, qui ad complementum substantiæ concurrunt. Et maxime hoc procedit in hoc modo, qui est subsistentia, cum ex se habeat complere suppositum creatum in positiva ratione essendi per se. Tum etiam comparatur ad naturam ut forma: sed ut purus terminus: ergo nec natura comparatur ad subsistentiam ut materia, vel proprium subiectum: comparatur ergo ut terminabile ad suum terminum: cum quo habet naturalem connexionem necessariam: & late loquendo, seu reductivè se habent ut actus & potentia. Atque hæc habitudo & connexio satis est, ut subsistentia possit à natura diminute per resultantiam naturalem.

xxiv.

Atque ex his constat, si subsistentia comparatur, non ad naturam, quam terminat, sed ad aliud subiectum: non posse esse inhærentem alicui, quia hoc multo magis repugnat rationi illius, idque in omni subsistentia completa est per se manifestum. Item in subsistentia partiali materiæ primæ. De subsistentia autem partiali animæ rationalis verum est aliquo modo esse in corpore, seu in subsistentia corporis, cum qua complet integram subsistentiam totius, tanquam ultimus actus eius, non tamen cum inhærentia, quia non pendet ab illa in suo esse, sed cum simplici unionem, quæ non repugnat subsistentiæ partiali, unde non potest dici subsistentia corporis, esse causam materialis subsistentiæ animæ. In formis autem materialibus propterea negamus esse subsistentiam partialem, quia modus illarum vere est in materia cum causalitate materiali, & cum dependentia & aliquali inhærentia.

Possibile

*Possitne substantialis natura sine ulla subsistentia conservari.*

XXV. **I**N sexta ratione attingitur alia difficultas, an scilicet fieri possit vt Deus impediatur emanationem sub-  
sistentia à natura per se solum susceptionem influxus:  
atque ita fieri possit, vt natura conservetur sine vlla  
subsistentia propria, vel aliena. Quæ difficultas, si at-  
tente consideretur, multo magis locum habet in  
contraria sententia, asserente Deum solum efficere  
subsistentiam cum existentia: nam si potest susce-  
dere suum influxum circa rem seu modum poste-  
riorem, conservando superiorē, quando illi est fluxus  
est cum causa secunda, eadem vel maiori ratione id  
poterit, si sit ab ipso solo. Quapropter illa difficultas  
non pendet ex presenti questione quam modo tra-  
ctamus, sed communis est in omni sententia asseren-  
te subsistentiam esse rem positivam ex natura rei  
distinctam à natura. Quam attingit Scotus in ter-  
tium distinctione prima, questione prima, ubi li-  
cet reputet inconueniens, quod possit natura ex-  
sistens conservari sine propria subsistentia, & sine vi-  
sione ad alienam, existimat tamen id sequi ex illa  
sententia asserente subsistentiam esse rem positivam  
ex natura rei distinctam, & Caietanus tertia parte  
questionis quarta, articulo secundo, respondens  
Scoto, concedit id sequi, & non reputat esse in-  
conueniens, vt per potentiam Dei absolutam na-  
tura conservetur sine vlla personalitate propria vel  
aliena.

Scorip' nio

*Sententia  
Caletani.*

XXVI.  
Qua diffu-  
cultas in  
Caierani  
opinionem.

Hæc vero sententia est difficilis valde in opinio-  
ne ipsius Caietani: nam ipse ait subsistentiam esse an-  
terioiorem existentia, & constituere proprium susce-  
ptum existentie: sed non potest natura conservari  
sine existentia: ergo nec sine subsistentia, quæ est  
prior. Quod si dicatur, posse Deum invertere hun-  
ordinem, & ponere existentiam in natura ante sub-  
sistentiam: contra hoc possumus ad hominem ar-  
gumentari, Caietanus enim ait, Deum non con-  
servare materiam sine forma, quia non est ca-  
pax existentie nisi per formam, eo quod forma  
constituit susceptum existentie: nec potest ex-  
sistentia constitui circa positum susceptum: sic  
igitur non poterit natura conservare sine sub-  
sistentia, quia non est capax existentie nisi per sub-  
sistentiam: nec poterit inverteri hic ordo, quia non  
potest existentia constitui extra proprium suscepti-  
um. Illud vero est mirabilis, quod quidam do-  
cent, substantiam nihil aliud esse, quam existen-  
tiam ipsam substantialem, & nih. lominus admit-  
tunt posse conservari naturam sine subsistentia pro-  
pria vel aliena. Nam hic coguntur concedere, posse  
conservari essentiam rerum natura sine existen-  
tia. Quod quam sit absurdum, ex ipsis terminis  
constat, & in superioribus latius tractatum est. In  
nostra vero sententia cessat hæc difficultas, exi-  
stimus enim existentiam existentem esse priorem  
ordine naturæ sua subsistentia, & ideo licet impedi-  
retur subsistentia, non privaretur natura existentia sua  
& ita videretur probabiliter dici posse non implicare  
contradictionem. Nam in eo casu talis natura dice-  
retur esse per se mere negativæ, quia non esset in alio,  
non tamen positivæ, quia non esset ita terminata  
ut esset positivè incapax unionis ad aliud suppositum.

XVII.  
Resolutio  
ambig.

Nihilominus tamen contraria sententia videtur probabilior, quam tenuit etiam Fonseca libr. 5. ca. 8. quæstione 6. sectione 5. ad 4. Scoti, citaque in eam sententiam D. Thom. in 3. distinctione 5. quæstione 3. art. 3. ad tertium. Vbi solum ait, quod si humanitas separaretur à verbo, statim subsisteret. Sunt autem notanda verba Diui Thomæ, ex quibus ratio nō infirma pro hac parte colligitur: Separatio (inquit) dat vtrique partem totalitatem, & in contrariis dat etiam vtri-

que esse in actu, unde hoc ipsum quod hominem deponeret, subsisteret homo ille per se in natura rationali, & ex hoc ipso acciperet rationem personæ. Quando ergo id quod additur vel fultat, est tantum intrinsecus terminus, non potest illa impediri vt res profus interminata maneat, vt probat exemplum de linea: intelligi enim non potest vt profus maneat sine termino, aut quid linea diuiditur, & punctus continuans partes auferatur, non resulcent proprii termini in partibus diuisis, cum tamen eadem, vel maior distinctio sit inter punctum & partes lineæ, quæ inter substantiam & naturam. Est etiam optimum exemplum de quantitate & figura. Quis enim intelligat magnitudinem existentem in rerum natura, & figura terminabilis & nulla terminatam figura? Id reuera intelligi non potest. Aut quod linea non sit recta aut obliqua, & superficies aut rotunda, aut singularis: eam enim figura modus quantitatis ex natura rei distinctus ab illa.

Contingit ergo inter rem & modum esse tam in-  
trinsecam connexionem, vt res non possit carere o-  
mni modo terminante: ergo si alibi hac connexio  
reperitur, maxime inter substantiam & naturam,  
que non solum comparantur vt terminus & termi-  
nabile, sed etiam substantia est talis terminus vt sit  
immutabilis ex natura rei, & magis vñum faciat quā  
natura, quā figura cum quantitate. Idemque argu-  
mentum sumi potest ex præsentia locali: fieri enim  
non potest, vt sit quantitas v.g. in rerum natura, &  
nullam habeat localem præsentiam, esto possit hanc  
vel illam variare, cum tamen præsentia sit etiam mo-  
dus ex natura rei distinctus, & inferioris rationis seu  
accidentalis. Atque hinc etiam intelligimus esse alios  
quos modos ita immediate compositos, vt nō possit  
res vno priuari nisi ratione modi oppositi, non vero  
per puram vniuersue carentiam: huiusmodi sunt in  
linea v.g. esse perfectam vel obliquam, in natura per  
se existere, vel inexistere alteri: igitur propter hanc et-  
iam causam non potest natura priuari propria sub-  
stantia nisi in aliqua alia persona constitutur, quod  
fit per modum quendam vnionis substantiæ oppo-  
sitæ.

Ad argumentum ergo factum in sexta ratione dicendum est, quomuis absolute possit Deus suspendere suum influxum: interdum tamen ex necessitate conferre vnum modum, supposito voluntate auferendi alium propter intrinsecam rerum connexionem, vt in dictis exemplis videre licet. Adde vero, licet non implicaret contradictionem, naturam priuari omni subsistentia tam propria, quam aliena, negari tamen non posse, quin sit magis consentaneum naturis rerum, vt quotiescunque vel res priuatur aliquo existendi modo sibi connaturali, afficiatur modo opposito, quando inter illos est immediata oppositio: ita vt natura non priuetur subsistentia nisi per unionem hypostaticam, & e converso, vt accidens, quando priuatur inherencia, accipiat aliquem modum positium per se essendi, inherentie oppositum, vt probabilius indicauiamus in materia de Eucharistia, quia valde alienum est a natura, manere sine aliquo intrinseco termino. Vnde præter miraculum separationis, esset nouum miraculum sine vilo alio modo aut termino rem conseruari.

*Fianne una azione esistenzia & subst-*  
*stentia.*

**E**x resolutione huius puncti sequitur dictio al-  
terius supra tacti, de virtute vel pluralitate hu-  
ius actionis. Dicendum est enim, actionem, quae fit  
subsistentia cum existentia rei, non solum non esse  
simplicem vel indiuisibilem, verum etiam neque v-  
nam compositam, sed esse efficientias distinctas,  
quoniam

quamvis connexas. Patet ex dictis, quia est vna creatio verbi gratia in angelo, alia vero est (vt ita dicam) modificatio tantum rei iam creatæ; quæ est quasi quædameductio de potentia subiecti. Item sunt à diuersis principijs, nam vna est à solo Deo, vel extrinseco agente, alia vero proxime est ab extrinseca natura: nulla est autem maior differentia inter actiones vel efficientias, quam inter principia. Deniq; vna est propria actio, alia est intrinseca resultantia. Dici vero solet vna tantum actio, per quam sit essentia cum substantia, non quidem in eo sensu, quem hactenus tractauimus, id est, quod immediate attingat ipsam substantiam cum existentia, sed quod resultantia illa substantiæ ex natura existere, non sit noua actio eo quod ex vi propriæ actionis resultet substantia. Atque hoc modo loquuntur multi de dimanatione passionum ab essentia. Veruntamen hæc sententia recte explicanda est, tantum in verbis potest esse diuersa, nam quod ad rem spectat, negari non potest, quin aliqua efficientia sit necessaria, vt substantia, quæ antea non erat, incipiat esse in rerum natura, vt in principio sectionis dicebamus, & est satis notum ex principijs philosophicis, quia quod prius non erat non potest incipere esse, nisi ab aliquo agente, & per aliquam efficientiam: alioqui tollitur omnis via probandi necessitatem causæ efficientis. Rursum, quod hæc efficientia sit in re aliquo modo distincta, probatur facile, rû ex distinctione ipsarum rerum, quæ sunt, tum ex separatione, quia potest fieri essentia seu entitas rei sine propria substantia, vt in Christi humanitate factum est. Vnde si verbum diuinum humanitatem dimitteret, eiusque humanitas propriam substantiam reciperet, id fieri non posset sine noua efficientia, distincta ab illa, quia iam dudum creata est; quia est nouus effectus à priori distinctus. An vero hæc efficientia dicenda sit propria & per se actio, quæstio esse potest quæ generatim tractata est supra, Disputatione decima octaua, sectione tertia, & ibi dicta, hic applicari possunt.

Tandem de hac dimanatione vel dependentia substantiæ à natura quæri potest, an sit omnino essentialis ipsi substantiæ, vel sit aliquid ab ea distinctum, ad eum modum, quo in superioribus diximus, actionem, seu dependentiam à causa efficiente distinguere à suo termino. Quod idem est acti quæritur, verum substantia ita posset fieri per dimanationem à propria essentia, vt aliter fieri non possit etiam per potentiam Dei absolutam, an vero possit Deus mutare modum efficiendi talem substantiam, ita vt non fiat ab ipsamet essentia, sed à solo Deo. Nam si hoc vltimum admittimus esse possibile, plane sit, dependentiâ seu denominationem substantiæ propriæ ab essentia esse aliquid ex natura rei distinctum ab ipsa substantia, quia est separabile ab ipsa, quandoquidem supponitur posse fieri, seu manere eadem substantia, sine dependentia à propria essentia per efficientiam solius Dei. Si vero hoc creditur impossibile, consequenter est probabilius iudicandum, ipsam substantiam per se ipsam essentialiter dependere à propria essentia: nam hæc inseparabilitas tam ex natura rei, quam in ordine ad diuinam potentiam, iudicat sufficienter in distinctionem seu identitatem ex natura rei, præsertim vbi nullum aliud iudicium distinctionis realis vel modalis inueniri potest, vt constat ex dictis supra tractando de distinctionibus rerum. Sicut, quia substantia comparatur ad naturam, vt non possit conseruari substantia separata à natura, recte colligimus vnionem formalem, quam habet propria substantia cum sua natura, non esse modum ex natura rei distinctum ab ipsa substantia, sed etiam per se ipsam esse essentialiter coniunctam suæ naturæ, & ideo non posse aliter conseruari. Si ergo similiter

conseruari non potest substantia sine effectiua dependentia à propria essentia, signum est illam dependentiam non esse modum distinctum, sed includi in essentiali ratione ipsius substantiæ.

Possit autem aliquis rursus argumentum sumere à formali vnione ad dependentiam effectiuam, nam si substantia nullo modo esse potest nisi in sua natura, ergo pari ratione dicendum est, nullo modo esse posse nisi à sua natura, sicut ergo dependentia substantiæ à propria natura tãquã causa suo modo materialis, est essentialis illi, ita etiam dependentia ab eadem essentia tanquam à principio actiuo, erit essentialis. Veruntamen hæc collectio non est efficax, tum quia materialis dependentia ex suo genere magis intrinseca est, tum etiam quia substantia ex hoc precise, quod tantum est modus, habet essentialiter vt per se ipsam absque interiecto alio modo vnionis sit vnita rei, cuius est modus: hoc enim commune est omnibus modis, vt supra dictum est, & patet in motu, figura, sessione & similibus. Dependens autem essentialis modi à re cuius est modus tanquam à principio effectiuo, non est de ratione modi vt sic, imo sepe distinguitur ex natura rei etiam in his modis dependentia à termino, vt præsentia localis, quæ solum est quidam modus, fieri potest per diuersas actiones, & à diuersis agentibus, quod est manifestum signum, dependentiam esse extraneous eius, & ex natura rei distinctam ac separabilem: cum hæc sit variabilis circa eandem præsentiam. Igitur ex communicatione modi non potest concludi, substantiam æque essentialiter pendere à sua natura in genere causæ efficientis, ac in genere causæ materialis. Neque etiam est facile inuenire aliquod principium quo probetur id conuenire substantiæ ex propria & speciali ratione sua.

Item difficile est assignare implicationem contradictionis in eo quod Deus impediatur naturalem dimanationem substantiæ à propria essentia, & sola sua efficacia & virtute illam producat. Cur enim nõ potest non dare concursum accommodatum & necessarium ad illam dimanationem, sed potentiori actione præuenire, & se solo substantiam efficere? Quod si quis respondeat, hoc fieri non posse, quia repugnat cum essentia ipsius substantiæ, petet principium, aut circulum committere in præsentia dubitatione: hoc enim est quod inquirimus, vnde constet hoc includi in ratione substantiæ. Itaque existimo rem esse incertam, nullumque esse speciale principium vnde definiri possit. Vtendo autẽ generalibus principijs, qualia sunt dependentiam effectiuam regulariter distinguere à termino, & Deum posse se solo efficere quidquid causa secunda potest, vbi specialis repugnantia non apparet: his (inquam) & similibus principijs vtendo, verisimilius dicitur, hanc dependentiam non esse de essentia substantiæ, sed extrarationem eius.

## SECTIO VII.

*Virum substantia habeat aliquam causalitatem, & quomodo actiones dicantur esse suppositorum.*



Vamquã omne causalitatis genus possit aliquo modo substantiæ attribui, præcipua huius rei difficultas versatur in causalitate effectiua, & aliquid etiã obiter attingendum erit de materiali. Nam de causalitate formali iam ex dictis constat, substantiam non esse formam propriè ac Physice loquendo, comparari tamen ad suppositum seu rem substantiẽ vt sic per modum actus formalis constituentis suppositum & terminantis naturam: & præter

I.